



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XIII. De accusationibus episcoporum, & ineptitudine accusantium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

cedantur, & iudices a se electi tribuantur, vt in loco vnde est ille qui accusatur, aut si alibi alicuius temerariæ multitudinis vim metuerit, locum sibi congruum eligat, quo absque timore suos, si necessitas exposcerit, testes habere, & absque impedimento suam canonice sententiam finire valeat, quia multa per subreptionem euenire solent.

IX.

Vt testificandi, vel accusandi licentia denegetur his qui Christianæ religionis & nominis dignitatem, & suæ legis vel sui propositi normam, aut regulariter prohibita, neglexerint.

X.

Multum derogatio præualet, quando derogatori creditur. Ideo variis detrectationibus atque accusationibus non decet labefactari primatem, sed magis patrum regulis roborari. Nec facile aut indifferenter suscipere accusationes præsumat, dicente Domino : *Non suscipias Exod. 24. vocem mendacii* : sed prius probare debet suspicionem & causam, aut quo animo hoc faciat, & postmodum suscipere : quia veritatis professionem, propinquitatis, inimicitia, timoris, amoris, odii & cupiditatis intentio impedit, & aduersa fratribus irrogare solet.

XI.

Personæ accusantium tales esse debent, quarum fides & conuersatio & vita probabilis & absque reprehensione sit, & quæ omni careant suspicione : quia & hoc, te præsente, vt bene nosti, in Nicæna Synodo, propter malorum hominum infestationem, ab omnibus diffinitum est, licet prauorum hominum insidiis sint hæc & alia quam plura deleta.

Hic nota
quædam de
decreto in
Nicæna Sy-
nodo dele-
ta.

XII.

Primates illi, & non alii sint, quam in Nicæna Synodo sunt constituti. Reliqui vero, qui metropoles tenent sedes, archiepiscopi vocantur, & non primates, salua in omnibus apostolicæ sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, & postea a sanctis patribus roborata.

XIII.

Primo semper in omni episcoporum accusatione, vita, persona & conuersatio accusantium enucleatim in-

quiratur : & postmodum ea quæ obiiciuntur , fideliter pertractentur : quoniam nihil aliter fieri * debet , nisi im- * decet , petitorum prius requiratur fides , personæ , vita & actus discussantur : quia non debet prauorum aut insidiantium hominum pernicie , vita lacerari innocentium . Sane sæ- piissime boni a malis persequuntur , qui non cessant suis * calamitatibus aliis derogare . Ideo summopere prouidendum est , ne hæc fiant .

XIV.

Nullus seruus , nullus libertus , nullus infidus , nullus criminibus irretitus , nullus calumniator , nullus qui inimicitii studet , nullus qui frequenter litigat , & ad accusandum vel detrahendum est facilis , nulla infamis persona , vel omnes , quos ad accusanda crimina publica leges publicæ non admittunt , permittantur episcopos accusare : quoniam accusatores & accusationes , quas leges sæculi non recipiunt , qua ratione sacerdotalis eas recipere debet ordo , inuenire nequeo , cum hæc & in Nicæna Synodo prohibita sint , & illi magis ab istis , non isti ab illis iudicari debeant ; & Apostolus dicat : *Spiritualis iudicat omnia , ipse vero a nemine iudicatur.*

X V.

1. Cor. 2. Hæretici , a quibus nimum opprimimur , excommunicatique , homicidæ , malefici , fures , sacrilegi , raptore , benefici , adulteri , & qui raptum fecerint , vel falsum testimonium dixerint , seu qui ad sortilegos magosque concurrerint , nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi .

X VI.

Nec ita in ecclesiasticis agendum est negotiis , sicut in sæcularibus . Nam in sæcularibus postquam legibus vocatus venerit , & in foro decertare cœperit aliquis , non licet ante peractam causam recedere : in ecclesiasticis vero , dicta causa , recedere licet , si necesse fuerit , aut si se prægrauari viderit .

X VII.

Quoties episcopus super certis accusatur criminibus , si tales fuerint accusatores , qui iuste & canonice recipi debeant , legitima in Synodo suo in tempore congregata , ab omnibus canonice audiatur , qui sunt in prouinciis ,